Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3063

Quelle:
Copyright:

mus. Interim eas non unius otiosi capitis inventum, sed pluribus ita notas fuisse, ut eas currente calamo exararent, diversa *Codicis* manus probat. Visum itaque fuit duplex earum *Alphabetum* aeri incisum hic Lectorum oculis objicere.

DCCCXLV.

948 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 219. in f. charactere, quem *missalem* vocant, aterrimo pulcre exaratus hoc Rubro est: *Incipit ordo Euangeliorum per circulum totius anni secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae.* Lectionaria ejusmodi sub initia Typographiae variis linguis passim imprimebantur, et reapse ad primum hujus *Codicis* intuitum haerere possit aliquis, impressumque credere, nisi curatius examen, et maxime lineae ab Scriptoribus duci solitae, quae utique ab impressis absunt, contrarium docerent. Interim tamen litera I. a qua plurima incipiunt Evangelia (*In illo tempore*) multis locis omissa, quibusdam penicillo adpicta, plurimis tamen Sigillo florulento chalcographico triplicis quidem formae impressa est, unde de *Codicis* aetate statui potest. Continet ille *Evangelia* primum, ut dici amant, *de Tempore*, initio sumto a *Dominica I. Adventus*, dein de *Festis propriis* Sanctorum, demum de eorum *Communi.* Folia quatuor, puta Frons Codicis, Evangelia item de Nativitate et Paschate Domini picturas praeferunt non admodum laudabiles. Librum inter κειμηλια quondam *Austriaci* cujusdam Principis fuisse, suadet Theca, anterior quidem Sigillis quinque argenteis deauratis Agnum paschalem cum IV. Evangelistis, posterior totidem Insigne *Austriacum* cum Scutis Provinciarum *Austriae* sup. *Styriae*, *Carinthiae* et *Carnioliae* affabre factis referens.

DCCCXLVI.